



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Explanatio In Psalmos**

Complectens primos 25. Psalmos

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Dusseldorpii, [1761]**

**VD18 15558428-001**

Psalmus XXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53377)

tissimum ad exhilarandum; per oleum  
 seu unguentum pretiosum, quo Veteres  
 in conviviis ungebantur.

v. 8. *Et misericordia tua subsequetur  
 me, omnibus diebus vitæ meæ.*

v. 9. *Et ut inhabitem in domo Domi-  
 ni, in longitudinem dierum.*

Ultimum bonum, quod perducit ad  
 summum bonum. *Subsequetur me* non  
 ad tempus, sed, quod est donum pro-  
 prium Electorum, perseveranter usque  
 ad finem vitæ, donec inhabitem in Cælo  
 in æternum.

## PSALMUS XXIII.

**T**itulus, & Argumentum: *Psalmus Da-  
 vid, prima Sabbathi.*

Hanc partem, *prima Sabbathi*, Græ-  
 cus addidit, fortè, quia in principio Psal-  
 mi fit mentio creationis Mundi, quæ pri-  
 mâ Sabbathi, seu die Dominico contigit.

Psalmus proprie est de Christi Af-  
 censione.



✠. 1. *Domini est terra, & plenitudo  
ejus, Orbis terrarum, & universi,  
qui habitant in eo.*

✠. 2. *Quia ipse super maria funda-  
vit eum, & super flumina præpara-  
vit eum.*

Probat ex tot hominibus solum Chri-  
stum & alios paucos, si scilicet ad multi-  
tudinem aliorum conferantur, intraturos  
in Domum Dei: Unde ne fortè crederen-  
tur ceteri homines ad Deum non perti-  
nere, sed ab alio esse principio, ut po-  
stea Marcionistæ, & Manichæi senserunt;  
docet, Deum esse Dominum Orbis terræ,  
& omnium habitantium in eo: quia à fun-  
damentis fecit orbem terræ, & ejus su-  
perficiem, altiorem mari, & fluminibus:  
si hæc altiora essent, terram obruerent.

✠. 3. *Quis ascendet in montem Do-  
mini, aut quis stabit in loco Sancto  
ejus?*

Cùm omnes homines, velut coloni,  
& servi Dei, terram, quæ Dei possessio  
est, incolant, eritne aliquis ex tanto nu-  
mero, & quis ille erit, qui dignus sit as-  
cen-

cen-



do  
fi,  
cendere locum, ubi propriè habitat  
Deus?

la-  
a-  
v. 4. *Innocens manibus, & mundo  
corde, qui non accepit in vano ani-  
mam suam, nec juravit in dolo pro-  
ximo suo.*

i-  
i-  
os  
n-  
i-  
o-  
t;  
e,  
i-  
l-  
:  
-  
o  
s,  
o  
-  
s  
Quatuor requirit in eo, qui sit as-  
census montem Domini. Primò: ut  
nihil mali fecerit; Secundò: imò nec co-  
gitaverit, aut cupierit; Tertio: ut omnia  
bona ad finem, à Deo sibi statutum neces-  
saria cogitaverit, & fecerit, & sic non  
frustra à Deo vitam acceperit; Quartò:  
ut non dolosè jurarit. Hæc propriè in  
Christum conveniunt, quanquam non so-  
lus ascensus sit, sed ipse, & corpus  
ejus, quod est Ecclesia, quam lavit fan-  
guine suo ab omni maculâ.

o  
s,  
o  
-  
s  
v. 5. *Hic accipiet benedictionem à Do-  
mino, & misericordiam à Deo salu-  
tari suo.*

Unde subdit: *hic, Christus, à Domi-  
no accipiet copiosissima bona pro se, &  
misericordiam pro corpore suo, quod est*



Ecclesia, cuius etiam respectu dicitur  
*Deus salutaris eius.* Vita æterna Christo  
 iustitia est, fidelibus eius misericordia,  
 quia condigna eorum vitæ æternæ meri-  
 ta ex misericordiâ Dei nascuntur.

*v. 6. Hæc est generatio quærentium  
 eum, quærentium faciem Dei Ja-  
 cob.*

Iste, qui ascendet in Cælum, non  
 solum Christus est, sed & generatio quæ-  
 dam hominum regenerantium in Christo,  
 quorum præcipua cura est Deum quære-  
 re, & ad videndam faciem eius anhelare;  
 Additur: *Seld,* h. e. semper anhelare.

*v. 7. Attollite portas Principes ve-  
 stras, & elevamini portæ æternales,  
 & introibit Rex gloriæ.*

Cùm prævidisset, inventum esse u-  
 num, nempe Christum, qui ascendere  
 dignus esset in montem Dei, prædicit,  
 id futurum.

Alloquitur Principes Cæli, seu An-  
 gelos, ut aperiant, & portas, ut aperiri  
 se sinant, imò sponte patefiant advenien-  
 ti Regi gloriæ. Dicit: *attollite, elevami-  
 ni:*



ni: portæ Cæli non sunt, quasi in pariete, ut ad latera moveri debeant; sed quasi in tecto, vel laqueari, ut sursum versus aperiendæ sint.

✠. 8. *Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio.*

Introducit Angelos interrogantes, non quòd in die Ascensionis ignorarent, Christum esse Regem gloriæ; sed ut exprimat admirationem hujus novitatis, quòd Hominem cernerent ascendere velut Dominum Cælorum. *In prælio, Dæmonem vincendo, ligando.*

✠. 9. *Attollite portas Principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.*

✠. 10. *Quis est iste Rex gloriæ? Dominus Virtutum, ipse est Rex gloriæ.*

Fingit, Angelos, qui Cælo præsunt quasi cunctari in aperiendis portis; & ideo rursus intonat: *Attollite &c.*; quæ repetitio tantum significat ingentem rei novitatem, quòd corpus terrenum supra



corpus Cæleste, & caro humana supra Angelos, stupente ipsâ naturâ, conscendat. Rursus igitur introducitur Angelos interrogantes, *Quis est &c.* quibus responderet: *Dominus virtutum &c.* virium, potentiarum; quo nomine audito continuo aperiunt, & Regem gloriæ læti suscipiunt.

## PSALMUS XXIV.

**T**itulus: *In finem Psalmus David.*

Argumentum est oratio devotissima, quâ petitur remissio peccatorum. Et gratia bene vivendi. Convenit autem hæc oratio homini incipienti despiciere temporalia, qui sic tenetur desiderio placendi Deo, ut tamen laboret in concupiscentiis superandis.

*v. 1. Ad te Domine levavi animam meam, Deus meus in te confido, non erubescam.*

Non inveniens quietem in creaturis, sed ubique spinas, & tribulos, pertæsus  
vitæ